Casimirus a Lubna Lubienski Dei et Aplicae Sedis gratia Episcopus Chelmensis, Sede vacante Epatus Cracoviensis et Ducatus Severiensis Gnalis Administrator, perpetuus Commendatarius Abbas Qeniensis

Illustri Adm Rndo Stanislao Mioszewski Canonico Sandomiriensi Praeposito Wystoviensi Nobis in Christo dilecto Salutem in Domino. Relatum est Nobis qualiter Perillustris et Adm Rndus Michael Garncki Canonicus Cracoviensis, Ruscensis et Sczucinensis Praepositus in Oppido Bythom nuper ultimum vitae suae clausit diem, cum vero ex in formatione certa accepimus quod suppellectilem Ecclesiasticam in auro argento aliaque materia quantitate et qualitate securitatis causa receperit, eandemque in dicto Oppido depositam habuerit, Proinde Nos indemnitati Ecclesiae accurata tuenda [illegible] providere ex Officio Nostro Administratoriali cupientes Dni Vrae cuius fidem, prudentiam et in rebus gerendis dexteritatem probatam habemus committimus quatenus visis ac receptis praesentibus Literis Nostris absque mora ad praefatum Oppidum Bythom descendat, ac suppellectilem (praevia Inquisitione seria ubi et apud quem haereat deposita) Ecclesiasticam duntaxat repetat, ac etiam jure si opus fuerit vindicet, Inventarium ipsius debite in praesentia testium fide dignorum conficiat, aliaque omnia et singula circa investigationem illius necessaria et opportuna juris et facti remedia adhibeat ac tandem ad se recipiat, et in loco tuto ac securo ad ulteriorem dispositionem Nostram conservet. Nos enim Dni Vrae in praemissis plenam damus facultatem in quorum fidem Datum in [illegible] 18tia Mensis Novembris A. D. 1706

Casimirus Epus Chelmensis
Epatus Cracov. Gnalis Admor